

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 130

**Auteur(s) :** Jean II d'Ivry, Avranches (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Renouf, Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbé)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1061

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

L'évêque Jean d'Avranches confie à Renouf, abbé du Mont-Saint-Michel, les pouvoirs d'archidiacre sur le Mont, avec le droit de juger les causes inférieures, d'instruire les procès criminels et de suspendre les clercs.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Pigeon Emile-Auber (Abbé), *Le diocèse d'Avranches, sa topographie, ses origines, ses évêques, sa cathédrale, ses églises, ses comtes et ses châteaux*, Coutances, Salettes, 1888, 2 vol., vol. 2, n° I, p. 658-660.
- b. Lemarignier Jean-François, *Étude sur les priviléges d'exemption et de juridiction ecclésiastique des abbayes normandes depuis les origines jusqu'en 1140*, Paris, Picard (Archives de la France monastique ; 44), 1937, p.159, n. 91.

Texte établi d'après a

Anno ab Incarnatione Domini 1061, Ranulfus, abbas Montis-S.-Michaelis, vir cautus in regimine tam cleri, quam populi, quam monachalis ordinis, convenit Joannem venerabilem Abrincarum pontificem super quibusdam gravaminibus quæ fiebant a ministris episcopalibus frequentissime super clerum et populum Montis. Cogebantur venire Abrincas ad respondendum de quacumque accusatione contra christianitatem, nec excusare eos poterat mare insurgents, nec Britonum insidiæ quæ præveniri et prævideri non poterant et ita sæpe in forisfactum et emendationes episcopales incidebant et sæpe juramentis fatigabantur. Propter prædicta sibi habenda in Monte, obtulit abbas episcopo de suo competenter per singulos annos, scilicet unam pelliciam grisiam quæ tam nobilem et tam sublimem personam deceret cum gratia recipere, et abbatem Montis honorifice dare et tres libras incensi et tres libras piperis, et sex tabulas ceræ de novem ponderibus et tres cereos in Purificatione B. Mariæ Viginis, unum scilicet albæ ceræ unius ponderis ad manus episcopi, duos alterius ceræ unius ponderis ad Decani et Thesaurarii manus. Episcopus vero præfatus, ut erat animo et genere nobilis, petitioni abbatis annuit, et archidiaconum suum in Monte eum fecit : ita tamen ut quod bene non faceret, vel non posset, Episcopus corrigeret Abrincas et ecclesiastico judicio terminaret. De conjugiis autem illicitis, si qui legales testes procederent, apud Episcopum audirentur, et per sacramentum ipsorum lege dissolveretur, quod contra legem præsumptum erat ; de criminalibus culpis venirent ad judicium et sententiam Episcopi pænitentes, confessi vel convicti coram suo archidiacono : excommunicati ab Episcopo ad ejus satisfactionem venirent et ad ejus absolutionem : judicium ferri igniti et aquæ ferventis Abrincas portabitur a Montanis ; presbiteri ipsi, si lapsi in culpam degradationis forte invenirentur, ut ad episcopum pertinet ordinatio, ad ejus judicium pertinet degradatio ; suspensio vero officii pro levioribus culpis in abbatis judicium est ad correctionem. Talis inter Episcopum et Abbatem de villa Montis facta est conventio. In monasterium vero S. Michaelis, in abbatem et monachos et duodecim canonicos totum jus episcopale retinuit. Episcopus in monasterio habet officium facere dedicationis, vesperas præcedentis diei cantabit et missam in die dedicationis, et quidquid

interdum ad altare offeretur et quod offertur ad manum ejus capellanorum suorum et ipse et omnes qui cum eo venerint abundanter et honorifice debent procurari, et equis aqua dulcis et cœtera necessaria de monasterio inveniri. Eo die debet esse præsto pellicia præfata Episcopi, et cera et piper et incensum, cerei tres ad Purificationem B. Mariæ, etiamsi episcopus defuerit. Abbas cum duobus de canonis bis in anno debet esse ad sinodum, nisi de licencia Episcopi remanserit et sacerdotes Montis. Quoties graviores causæ emerserint, Episcopus mandabit abbatì et vocabit eum et venire debet, nisi inevitabilem et legalem excusationem prætenderit ; non communicabit excommunicato Episcopi scienter, nec excommunicabit aliquem proximum Episcopi extra Montem constitutum, inconsulto episcopo. Monachi quinta feria Pentecostes venient Abrincas cum capite S. Auberti ad ecclesiam S. Andreæ, in qua ipse sedit Episcopus, cum processione magna tam clericorum quam laicorum omnium qui domos tenent, et denariatas ceræ matri ecclesiæ debent ut sedi episcopali de qua recipient concilium animarum, et abbas per se vel per decanum suum oleum et chrisma recipiet ad erogandum presbiteris ad christianitatem faciendam. Canonici omnes sub Episcopo sunt proprie, et canonis præbendas, cum vacuæ fuerint, distribuere debet sicut dignum decuit. Beatus enim Aubertus cui divino munere Mons ille collatus est, eos instituit et de suo episcopio ecclesiæ quam construxit, duas villas Huynitium et Geneseum ad usum suum et illorum contulit.